



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 64. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

COLLOQ. De 2. vexillis, illud nominatim postulando, ut liceat frui conversatione cum Christo, humili quidem loco degente, & constituto; sed tam specioso, & amabili, ut tormentum sit ab eo avelli.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO LXIV.

*De ambulatione super aquas. Matth. 14.*

Myst. punct. 2.

CONG. Ut saepius dictum.

PRÆL. I. Quomodo, cum noctu Navicula agitaretur fluctibus, venerit ambulans suprà mare: perterritis Discipulis putantibus phantasma esse.

PRÆL. II. Videre turbatum mare, super quo Christus ambulavit.

PRÆL. III. Petere robur, & constantiam, & fiduciam in laboribus, & desolationibus ac tribulationibus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Matth. 14.*

INTEL. Consideremus igitur personas Discipulorum, cum navicula jactatas in medio mari, laffatas laborando contrà ventum contrarium. Sic Christus suos per adversa permitit tentari. REFL. Meminerimus quod in Contemplatione Regni Christi vitam ejusmodi laboriosam edocimus: laboret mecum necesse est, dicit ibi Christus.

VOL.

VOL. Dicamus cum Christo : pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ Ps. 87. & paremus cum Apostolo 2. Tim. 3. ad fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutions, passiones. &c.

**P**UNCTUM. II. VERBA. MEM. Discipuli videntur eum super mare ambularem, turbatis sumi dicentes: *Quia phantasma est.* Et prætimore clamaverunt. Matth. 14.

INTEL. Erant Discipuli in tenebris, erat enim quarta vigilia noctis; ideò tam aliena à vero dicebant, & clamabant. REFL. Sic in tenebris desolationis, cautè debemus procedere, & facile erramus in discernendis spiritibus: ideoque juxta Reg. 4. hebd. 1. *de discern. spirit. tunc nihil liberandum, aut innovandum est.*

VOL. Nos igitur clamemus in nocte tribulationum nostrarum, dicamusque: *Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 17.

**P**UNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus venit ad eos ambulans super mare. Matth. 14.

INTEL. Vidimus illum imperantem ventis, & mari: nunc videmus illum pedibus mare calcantem: adeò verum est Regem nostrum esse Dominum universorum, quamquam hîc etiam imperat tempestate, quæ erat in animis Discipulorum dicendo: *Habete fiduciam ego sum, nolite timere.* Matth 14. REFL. Hinc discimus sicut habetur Reg. 2. Hebd. 2. *discern. Spir.* quod solius est Dei,

Dei, consolari animam, nulla præcedente consolatiōnis cāusā. Sicut hīc nulla præcedebat: Sed Christus tamquam Dominus universorum sedat tempestates interiores, & exteriores.

VOL. In tribulationibus, confugiamus ad Chri-  
stum, Dominum universorum, dicendo: *Eripe  
me de luto, ut non infigar libera me ab iis, qui o-  
derunt me, & de profundis aquarum. Non me de-  
mergat tempestas aquæ. &c. Ps. 68.*

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo, ut in tenebris  
tribulationum, possimus agnoscere, & vitare  
fraudes mali spiritus. RECOLL.

## MEDITATIO LXV.

*De ambulatione super aquas. Matth. 14.*

Myst. puer. 3.

CONG. Delibare instantem meditationem mo-  
bre hujus hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Petrus ambulaverit super  
aquas, & quomodo ventus cessaverit.

PRÆL. II. Conspicari medium mare, ubi hæc  
siebant. Nam *in medio mari jactabatur Navis*,  
inquit Matthæus.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ fidei erga Chri-  
stum.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Consideremus in-  
ter Discipulos, qualis fuerit Petrus, viso, &  
agnito JESU ambulante super aquas.

IN<sup>2</sup>